

πd
228





Q. R. 533. 24

B. m. II

II d
228

DISSERTATIONEM
DE
TAVTOLOGIA
SEV
VITIOSA REPETITIONE
VERBORVM
CONSENTIENTE
ORDINE PHILOSOPHORVM
PRO LOCO
IN EODEM OBTINENDO
PLACIDO EXAMINI
SVBMITTIT
M. CHRISTIANVS SIGISMVNDVS
LIEBE.

PRID. ID. APRIL. MDCCXXI.

LIPSIÆ,
LITTERIS IMMANVELIS TITII.



2 12

DISSERTATION
DE
TAVTOLOGIA
SEN
VITIOSA RHEPTORICE
V. P. B. O. R. V. M.
KONSTITUTIONE
ORDINE PHILOSOPHORUM
P. R. O. F. O. R. O.
IN ACADEMIA
P. L. A. C. I. D. O. E. X. A. M. I. N. I.
P. R. O. M. I. T. T. I. S.
M. CHRISTIANVS SIGISMUNDVS
LIBER
K. N. I. D. I. P. M. A. G. I. S. T. R. A.
L. I. T. T. A. S.
L. I. T. T. E. R. S. Y. M. M. A. P. A. R. T. I. S. T. I. T. I. T.



§. I.

ITerare, quae probari nullo modo possunt, in vitio vel maxime ponendum esse, nemo sanus dubitauerit. Cum enim semel indulgisse errori ac caecae mentis libidini, culpa, eaque grauissima non careat, summam profecto reprehensionem incurrit, si quis crebro ad eundem offendere lapidem non vereatur. At non in malis tantum, sed et bonis, aut mediis certe rebus, idem valere, experientia loquitur et ratio confirmat. Qui eadem nimis saepe propinat, quantumuis bona sint et laude digna, aut saltem vitiosa per se censeri non possint, tametsi non aequae graue, vitium tamen admittit. Sunt sane, quae innouare identidem velle, et saepe perpetuoque adeo repetita aspernari, hominis sit sensu omnis virtutis orbati. Spectat huc vna illa ac perpetua ratio ex praescripto Dei immortalis viuendi, in mutuis rerum omnium inter se relationibus expressa, quam sapiens, quoad eius fieri potest, vbique et constanter sequitur. Is scilicet, ne semper pius sit, ius fasque ob oculos habeat, verumque decus vitae sectetur, sed contra, vt aliquando a vero rectoque deflectat, et contraria amplectatur, postulabimus? Neutiquam vero; atque vtinam ille vnum eundemque viuendi tenorem seruaret semper, nec vitio naturae humanae, ad lapsus iteratos pronae, abreptus virtutis fraena excuteret, et cupiditatibus prauis se regi pateretur. Sed reperiuntur alia, in quibus velut dissidere a se sapienti atque alium subinde habitum formamque sumere non tantum licet, verum et, quod plus est, conuenit. Rem ita habere, ne nimis longinqua repetam, constabit, si vel scribentem, vel viua voce expromentem, quae alios nosse cupiat, consideremus. Tum enim si varietate quadam iucunda lectores auditoresue tenere nequeat, sed ad idem nimis crebro relabatur, et semel dicta sine graui causa vel centies inculcet, iure meritoque vituperabitur. Culpa haec tam manifesta est, vt prouerbiis eam iamdudum vete-

res exagitarint, cuiusmodi sunt, *δὲς κραιμβὴ θάνατος, ὁ Διὸς Κόρηδος*, et sexcenta alia, quae Erasmus diligenter explanauit.

Chiliad. p. 171.
 & 371. Edit.
 1541.

§. II. De ea re paulo pluribus agere propositum mihi iamdiu fuit, quod nunc ex parte praestare, quantum id in praesenti licet, aggredior. Cum enim iterationes vitiosae vel rerum sint vel verborum, prout vel ad conceptiones mentis, vel ad sermonem, quo sensa animi explicamus, pertinent, posteriores mihi nunc potissimum excutiendas sumsi, siue eam ob causam, quod, qui id argumenti ex instituto pertractarit, nemo, quod ego sciam, reperitur, siue quod eae magis in sensus incurrunt, et faciliorem sui iucundioresque contemplationem suggerunt. De prioribus prout obiter tantum, ac per transennam nonnulla attingit verius quam tradidit clarissimum Academiae Laufo-niensis decus, I. P. Croufazius; ita alio fortasse tempore, quae collecta mihi eam in rem sunt, si digna luce videbuntur doctioribus, sequentur. Vtrasque *ταυτολογίας* nomine appellare liceat, quod vt de repetitionibus vitiosis rerum nemo mihi non largietur facili negotio, ita vt idem de verborum iterationibus concedatur, non inique postulare mihi videor. Neque enim vox haec ad res tantum, aliis numero sed idem significantibus verbis saepius repetitas, quo sensu eam definit Phauorinus, et vulgo accipitur, sed verba etiam refertur. Testem non inficiandum, vt arbitror, produco, Quintilianum, qui *ταυτολογίαι*, inquit, i. e. *eiusdem verbi aut sermonis iteratio*. Haec enim quanquam non magno opere summis auctoribus vitata, interim vitium videri potest, in quod saepe incidit etiam Cicero securus tam paruae obseruationis et quae sequuntur. Nam inferius de eodem hoc loco agendi occasio se noua offeret.

System. de Re.
 flex. Part. I.
 Chap. VI.

voce *ταυτολογ.*

Lib. VIII. c. 3.
 Inst. Orat.

§. III. Sed ante, quam longius prouehor, censurae quorundam occurrendum est, quibus argumentum hoc fortasse, si non prorsus tritum, leue tamen nec dignum factis

tis

REPETITIONE VERBORVM.

tis quantalacunque opera mea videbitur. Quod enim tantum facinus, quod crimen est, inquiet illi, si quis voculam vnā alteramue minus commode repetierit? Sermonis virtus haud postrema est perspicuitas, cui si *ταυτολογία* id genus non modo non officiant, sed plurimum subinde lucis afferant, quid attinet, inuestiuas longas contexere ea de re, virisque, quorum laudes nulla vnquam temporum obliuio delebit, in inuidiam adductis, inani criminatione bonas horas chartamque nequicquam perdere. Hi si in genere omnem politoris sermonis curam aspernantur, contenti, quae animo conceperunt, quibuscunque verbis et quocunque modo expressisse, nihil iam cum iis contendam, nec vitio dabo, si haec seponentes ad grauiora legenda festinent. Sin non omnia, quae Rhetores cum primis de ornanda oratione praecipunt, spernenda arbitrantur, id quod sane neminem paulo aequiorem facturum confido, aures ego eorum obtestor, rogoque, annon intemptiuus verborum eorundem iterationibus vel maxime offendantur. Quod si ita est, operam non ludat, nisi fallor, qui de argumento hoc neque sterili, neque iniucundo vberius exponat, idque exemplis non aetatis nostrae, quae inuidiam facerent, sed priscorum scriptorum, extra fauoris odiique causas positurum, illustratum sistat. Hanc ego provinciam mihi imposui in praesenti, tantoque eam libentius suscepi, quod ad delicias meas me, scriptores veteres, vocaret, quibus si quid liberius obiectauero, quam nonnulli, nimio eorum amore capti, aequo animo ferre possint, id fraudi mihi ne sit, monitos lectores velim, magni me facere priscos auctores, sed non tanti tamen, ut quicquid illi dixerint scripserintque, promiscue probem laudemue, sed vt in iis, hominibus quippe, naeuos etiam agnoscam, eosque non inuidiose quidem exprobrem, sed tamen nec dissimulandos callide, aut, quod nonnulli faciunt, laudibus vehendos arbitrer. Ita enim cum maligni atque ex alio-

rum reprehensione laudem quaerentis, tum superstitiosi, et in veterum admiratione vnice defixi animi notam amoliar, et si non omnibus, aequioribus certe lectoribus instituti mei rationem facile probaui.

§. IV. Vt igitur hoc vitium rectius pernoscamus, hominem fingamus nobis inter gentes cultiores natum educatumque, cui linguae, qua utendum ei est, thesauri omnes in promptu sint, ita, ut infinitas prope de vnaquaque re dicendi figuras vel memoria teneat, vel ex vsu haustas eidem infingere facili negotio possit. Fingamus porro, eum nulla saepe adactum necessitate, gloriolae vanae, lucellivae turpis stimulis obsequentem in lucem prodire, siue vt scripta publico obrudat, siue vt ad plures, occasione quacunque oblata, verba faciat, ea vero negligentia vtrumque negotium aggredi, vel ea insania quasdam voces loquendiue modos deperire, ut sine taediosa eorum iteratione hircere vix possit, sed vna eademque dicendi forma aures perpetuo obtundat. Praeterea fingamus hominem contemplationi rerum altissime immersum, et qui verborum cultum equidem non negligat prorsus, sed tamen non anxie confectetur, totumque se cognitioni penitiori eorum, quae in vnaquaque re consideranda sunt, impendat, atque ita de aliis omnibus sollicitus, eadem verba easdemque loquendi rationes excidere sibi nimis saepe patiat. In vtroque *ταυτολογία*, qua de nunc agimus, tametsi in posteriori magis ferenda, deprehenditur, quam si more in scholis recepto definire oporteat, breuiter dixerim vitium sermonis, quo eadem verba, dictionesue aut modi loquendi insulse repetuntur.

§. V. Vitium hanc *ταυτολογίαν* esse, dubitanter affirmat Quintilianus, *Haec, inquit, quanquam non magnopere summis auctoribus vitata, vitium interim videri potest.* Magnorum fortasse nominum auctoritate deterritus timidius paulo sententiam ea de re suam interponit. Sed auctores illos
summos

l. c.

summos vsque adeo non reuereor, quin eam in vitiorum numerum, quo pertinet, vel sine haesitatione referam. Si quis causam eius rei a me quaerat, ei vt satisfaciam, non vna in promptu sunt, quae respondere possim. Primo vitium id esse patet, quod aures inde cum maxime offenduntur. Quiduis illae perpetiantur potius, quemuis numerum, quamuis iuncturam potius ferant, quam eiusmodi ineptas repetitiones. Expertus id quisque mihi facile largietur: sed et ratio id clarissime euincit, si mentis humanae naturam paulo altius rimemur. Illa ad summum bonum quaerendum creata, cum illud in rebus humanis nusquam inueniat, quaecunq; ei offeruntur, vix satis cognita relinquit, atq; ad noua semper festinat. Id nouarum rerum studium sensim sensimque ita inualefcit, vt et ad verba peringat, quae audita semel, si iterentur, nisi peropportune id fiat, fastidimus illico, et, quantumuis eandem rem, aliis subinde atq; aliis modis expressam postulamus. Fortasse et organorum humani corporis ea structura est, vt naturali quadam necessitate aegre quodammodo sit, vno eodemque modo perpetuo affici, id quod vsu venit, vbi vna eademque verba identidem aures nostras verberant. Postremo et linguae, quarum vsus est hodie, tantis affluunt opibus, tanta vocabulorum copia redundant, vt sine summa negligentia vel infano amore vni eidemque voci nos mancipare nequeamus.

§. VI. Neque vero iteratio quaeuis vitium trahit. Sub primordia linguarum (nam eas ab initio tam copiosas perfectasque omnibus numeris fuisse, quam nunc sunt, nemo, opinor, dixerit, cum incrementa eas adhuc dum capere videamus, per earum vero gradus necessario ad parua quaedam initia sit deueniendum) necessitas, vt voces eadem repeterentur, suasisit. Idem hominibus tum vsu venit, quod infantibus, vbi loqui nondum satis didicere, nec vocabula rebus propria omnia norunt, qui marem quemuis, patri quo-

quomodocunque similem, patrem, et foeminam matri, matrem appellant, inanimata fere omnia generali nomine entis designantes. Ita repetere saepe eandem vocem coacti sane nihil peccauere, vt nemo iis exprobrarit, vestitu eos, varietate neglecta, vno eodemque vfos tamdiu esse, dum detritus ille nouum comparandi necessitatem imponeret. Primaeuam hominum easdem saepe voces adhibentium simplicitatem, vt caeteras gentes taceam, imitabantur quondam veteres Romani formulis adhibitis solennibus, quarum significationem octo libris diligenter explicauit Barnabas Brissonius.

§. VII. Nempe illi cum in sacris, tum vita ciuili domesticaque eiusmodi formulas, quotiescunque occasio ferebat, (ferebat autem saepissime) magna religione vel superstitione potius identidem repetebant. Atque in sacris equidem mirum non est, Romanos eadem perpetuo verba sollicitate iterasse. Notum est constans, quo tenebantur studium patrios ritus seruandi vitandique omnia, quae solennitatis religioni fore credebant. Equidem parum in istis formulis momenti situm videretur, quibus neque retentis, commodi quicquam expectandum, neque abrogatis damni metuendum erat. At Romanorum sacra his fere ac similibus rebus a soluebantur, quas proinde non facile tollendas immutandasque haud immerito credebant. Ac forte, vt diis ex infinita prope farragine nominum haec vel illa magis, quam caetera, putabant probari, tamen, quoniam illa essent, ignorantes, ingentem saepe eorum catalogum continebant; ita formulas sacrorum receptas, prae caeteris omnibus eas gratas superis esse persuasi, constantissime retinuerunt. Quamquam nec negarim, propterea eas seruatas, quod probe cernebant, e re publica esse, nihil in sacris temere mutari, quod sine summa rerum omnium perturbatione fieri non potest. Cur in vita ciuili aequae ac domesticae formulas solennes adhibuerint Romani, non aequae graues

graues reperio causas. Quid attinebat in rogationibus, relationibus consulum, sententiis dicendis, intercessionibus, factis comprobandis, magnis reipublicae periculis, comminationibus publicis, edictis, re militari, iure, priuatis negotiis vnā eamque dicendi formam perpetuo sequi? Mutataene voces rem ipsam mutabant? Non sane, nisi ex opinione praeiudicata Romanorum, qua semel animos imbuerant. Tria tamen cum primis adduxisse eos videntur, vt formulis eiusmodi pertinacius inhaerent. Primo, sectantes ita simplicitatem antiquam, videntur se suosque admonuisse tacite, vt fide moribusque antiquis negotia omnia vel publica vel privata obirent. Consentaneum nempe erat, vt, qui maiorum vsurparent formulas, neque ab aequitate eorum et candore deflecterent. Dein ambages hoc pacto facile deuitabantur, quibus homines, praesertim mala fide agentes, vt inani verborum specie fucum aliis faciant, nimio plus indulgere solent. Pleraque denique formulae admodum rotundis erant verbis conceptae, et audientibus eas a teneris facilius intelligebantur, quam easdem alio modo redditas assequi licuisset.

§. VIII. Atque hinc iam de formulis etiam solennibus, quae hodie obtinent, statui potest. Reperiuntur eiusmodi in sacris Christianorum, quorsum preces, quibus Deum diebus horisque stans in publico pariter coetu domique compellamus, cantusque, breuiore imprimis, referendos arbitror. Reperiuntur in foro domique; nec defunt in scholis scriptisue cuiuscunque fere generis eruditorum. Quoties Theologi sacrae scripturae locis, iureconsulti legibus pro formulis solennibus vtantur, quis nescit? Iisdem medicos carere is demum negabit, qui scripta eorum nunquam attigerit, vel non viderit medicaminum parandorum praescripta, cuiusmodi ad pharmacopolas mittunt. Philosophorum secta nulla est, cuius asseclae non solennibus formulis vtantur. Mathematicorum ὁ ἕδαι ἀποδείξαι, Q. E. D.

B

vsque

vsque adeo tritum est, vt illud etiam in alias disciplinas transferri coeperit. Quis criticorum, grammaticorum, aliorumque eruditorum familia, quibus identidem vtuntur, effata vel omnia vel potiora saltim enumeret? In his ego omnibus nihil reprehendendum duxerim, si crebrius recurrant, modo ne abutamur iisdem, nihilue ad scientiarum campum emetiendum praeterea requiri arbitremur, in qua sententia plures fortasse sunt, quam credibile minus ad ea, quae fiunt, attendentibus videatur.

§. IX. Sed non tantum formulae, de quibus diximus, solennes simplicitatem primaeuam sermonis humani, crebris *ταυτολογίαις* constantem, quodammodo reddunt, verum et rationes modique loquendi quidam a communi sermonis structura non nihil abeuntes, quibus vtimur. Huc pertinent Rhetorum figurae, anaphora, epiphora, symplotice, epanalepsis, anadiplosis et ceterae, quae vel voces, vel dictiones integras, modo easdem, modo paulisper inflexas repetunt. Earum explicationem curatiorem ex veteribus iisque Graecis, Aristoteli, Hermogeni, Demetrioque Phalereo, ex latinis auctori librorum ad Herennium et Quintiliano, ex recentioribus autem Emundo Richerio, Gerh. Io. Vossio, et Bernardo Lami potissimum debemus. Quibus dicta vt compilare propositum non est, ita fundamenta huiusmodi repetitionum paulo altius indagare conabimur, vt eas a vitiosis, de quibus nunc agimus, *δις διὰ πάντων* differre constet, neque deprensi a nobis in manifesta culpa ad subterfugium hoc figurarum sibi aditum patere arbitremur. Neque enim nouum inauditumue est, schematum excusatione vtī, si quid exciderit, quod minus recte se habeat, et aliam sui defensionem haud admittat. Magnus profecto hic nobis pateret campus dicendi, si instituti nostri ratio digressionem pateretur, ac non satis nota per se res esset. Quis nescit ad catachreses, hyberbolas aliasue dicendi formas saepe ineptissima quaeque obtorto trahi collo, vt inde

his honesta quaedam species titulusue bonus comparatur? Quam saepe fit, vt quasi de industria auctoribus dicta et multo studio quaesita credantur, quae minus attendentes in chartam effuderunt, quaeque si propius expendissent, aut monitor non defuisset opportunus, emendaturi haud dubie fuissent. Quasi omne id, quod a communi recedit loquendi more, venustatem et nescio quam figuram saepe ferret, ac non vitia etiam orationis insoliti quiddam praeseferrent, quae iam nulla erunt, si figuras vbique, coeco vetera omnia extollendi studio inducti, crepamus.

§. X. Repetitiones igitur hae saepe vnius perspicuitatis causa adhibentur. Quamobrem recte praecipit Demetrius Phalereus: *Σαφηνείας δὲ ἕνεκα καὶ διλογητέον πολλὰ πικ. ἔργμ. κίς. ἡδίων γὰρ πῶς τὸ συντομώτερον, ἢ σαφέστερον. ὡς γὰρ οἱ παρὰ τρέχοντες παρορῶνται ἐνίοτε, ἔτω καὶ ἡ λέξις παρὰκίεται διὰ τὸ τάχος.* h. e. Perspicuitatis autem causa saepe bis dicendum. Breuitas enim incundior quodammodo, quam planior. Vt enim qui iuxta nos effunduntur in cursum (ad verbum praetercurrentes) aliquando non cernuntur, ita et dictio propter celeritatem aliquando non auditur. Eandem ob causam Hermogenes ἐπὶ πρόγμα- de Eloqu. Method. τος διδασκαλίας, ad rem declarandam, ἐπανάληψιν, quae est genus c. 9. p. 529. Edit. Col. Allobrog. quoddam repetitionum, adhiberi docet. Causam, cur perspicuitatem concilient, Demetrius Phalereus indicauit, verbis paulo ante adductis, quae est, quod voces semel duntaxat pronunciatas nimis celeriter aures auditorum praeteruehantur, atque adeo satis intelligi nequeunt, nisi repetantur, quod tum, necesse est, cum primis fiat, vbi vna, pluresue etiam voces, recte intellectas, ad capiendam integram orationem plurimum momenti afferunt. Sed et ad venustatem faciunt iterationes vocum, cum simpliciores illas, tum vero maiori artificio elaboratas. Simplicior repetitio an venustior sit, nescio elegantissimae poetriae Sapphus, vbi illa: Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιπῶσα ὄρχη, *virginitas, vir-* ap. Dem. Phal- *ginitas, quo me relinquens abis,* cui illa eodem schemate respon- ler. l. c. §. CXL. det:

det; ἐκ ἔτι ἤζω πρὸς σε, ἐκ ἔτι ἤζω, non amplius veniam ad te, non veniam. Quibus adductis Demetrius Phalereus subiungit: Πλείων χάρις ἐμφάνεται, εἰ εἴπερ ἅπαρ ἐλέχθη καὶ ἄνευ τῆς χήματος: Maior gratia apparet, quam si semel dictum esset, ac sine schemate, aliudque exemplum ex eadem Sappho depromptum profert. Gratiam igitur ac venustatem haec repetitio orationi addit, si veteribus atque imprimis Demetrio nostro fides habenda est, cuius, optimi quippe dicendi magistri, auctoritatem vt magni facio, ita difficilius tamen videtur explicari posse, quo pacto inde, quam iactat ille, venustas exsurgat. Num ipsa simplicitas, neglectusque ornatus, quem ista prae se ferunt, velut in sequiori nonnunquam sexu, delectat? Nihil ego quidem certi definire audeo, sed Cornificio, si is tamen auctor est librorum ad Herennium, sententiae subscribendum arbitror, qui in his quatuor generibus exornationum, inquit, quae adhuc propositae sunt, non inopia verborum fit, vt ad idem verbum redeatur saepius, sed inest festiuitas quaedam, quae facilius auribus diiudicari, quam verbis demonstrari potest. In repetitionibus maiori cum artificio coniunctis, cuiusmodi sunt πλοκή, κλίμαξ et ἐπάνωδος, vnde venustas illa oriatur, euidentius est, vt quae nascitur ex varietate sedis et significationis vocum, tum vero et ex centu membrorum inter se, quae omnia loco suo adhibita, gratiam sermoni haud mediocrem pariunt.

§. XI. Affectibus denique declarandis etiam schemata haec in seruiunt. *Nascitur*, inquit Macrobius, πείδος et de repetitione, quam Graeci Epanaphoram vocant, cum sententiae ab iisdem nominibus incipiunt, idque ipsum Virgiliis versibus prolatis clarissime demonstrat. Nempe et iteratio illa Ciceronis ad Quintum fratrem scribentis: *Mi frater, mi frater, mi frater, tunc id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus, pueros ad te sine litteris miserim?* annon tenerrimum longe amorem prodit? Tanto aptius vero, affectibus depingendis figurae istiusmodi adhibentur, quod, Demetrio Phale-

Lib. IV. p. 57.
Edit. Blacuian.

Lami l'art de
pastel I. 3. c. 13.
p. 201. Edit.
Amst. 1699.

Saturn. Lib.
IV. c. 6. sub
fin.

Ep. 3. ad Quint.
p. 648. Edit.
Blacu.

Phalereo iudice, τὸ μέγεθος, *magnitudinem* et cumprimis τὸ δεινόν, *grauitatem* orationi conciliant. His enim stimulis animi concitantur rapiunturque, quocumque eos dicentis impetus vocarit. Refero huc, quod Hermogenes ἐπαγόληψιν ἐπὶ προσώπῃσιν συζῶσαι ἢ διαβολῇ γίνεσθαι, *epanalepsin*, siue in genere repetitionem, ad commendandam vituperandamue personam facere affirmat, quam in rem requiritur, vt ad magnitudinem grauitatemque quandam assurgat. Addit idem Hermogenes, istud genus figurarum facere ad ἡδῆς βεβαιώσῃν, subditque exemplum ex Homero:

Τὸδ' ἐγὼ ἀντίος εἰμι, καὶ εἰ πύρι χεῖρας ἔοικεν,

Ἐὶ πύρι χεῖρας ἔοικε, μένος δ' ἀνδρῶν σιδήρω, h. e.

Huic ego occurro, si vel manus igni similes habeat.

Si manus igni similes habeat, iramque candenti ferro.

ratus, verba εἰ πύρι χεῖρας ἔοικε repeti, ἵνα τὸ ἀνδρείον βεβαιώσῃ, vt fortitudinem firmitus demonstraret. Quod vt facile largior, ita vicissim postulo ab Hermogene, neque ab inuito eo, vt arbitror, impetrarim, vt concedat, haec ipsa verba ἐν πάδεσσι ab Hectore prolata esse, quod argumento iam est, affectu concitatos repetitionibus verborum indulgere. Causam qui id fiat, suppeditat mentis habitus naturalis, artis et fuci expers, pristinaeque ac natiuae simplicitatis sponte memor, ad quem affectus nos, etiam non aduertentibus nobis, reuocant. Is vero ab eiusmodi iterationibus non abhorret, quod vel exemplo infantum, quo supra usi sumus, satis intelligitur. Tum vero affectibus commoti res, quae menti eorum obuersantur, tam alte sibi imprimunt, iisque ita occupantur, ut mirum non sit identidem eas in scenam ab iis produci. Quod idem tanto facilius fit, quia eorum, quae sentiunt, cum aliis communicandorum studiosi metuunt, ne dicta semel minus ceperint, vnde voti sui vt compotes reddantur, eadem illa repetere nulli dubitant. De figuris autem sermo mihi est non omnibus illis, quarum natura in repetendo consistit, sed simplicioribus, Anaphora, Epizeuxi aliis-

§. LXVI. et
CCLXXX.

l. c.

l. c.

Iliad. v. v. 376
seq.

l. c. §. XXVII.

aliisque similibus. Ceterae enim plus artis redolent, et orationem cum affectu loquentis non modo non ornant, sed et frigidam insulsamque reddunt. Vnde recte Demetrius Theopompum reprehendit, cum Philippiamicos accusaret, Ἀνδροφόνοι δὲ inquietem τὴν φύσιν ὄντες ἀνδροπόμοι τὸν τρόπον ἦσαν, καὶ ἐκαλεῖτο μὲν ἐταῖροι, ἦσαν δὲ ἐταῖροι, h. e. natura parricidae, moribus cinocidi erant. Vocabantur sodales, erant autem prostibula. Quibus subiungit: Ἡ γὰρ ὁμοίότης ἢ περὶ τὰ κῶλα καὶ ἀντιθέσεις ἐκλύει τὴν δεινότητα διὰ τὴν κομποτεχνίαν. Οὐ μὲν γὰρ ἀντιθέσεις εἰ δέονται, ἀλλὰ δεῖ τρόπον τινα, αὐτοφυσῶς εἶναι ἐπὶ τῶν τοιστων κατηγοριῶν, καὶ ἀπλᾶ τὰ λεγόμενα. h. e. Similitudo enim circa membra, (quae est genus repetitionis) et antithesis dissoluit gravitatem, propter abusum artis. Ira enim arte non indiget, sed oportet quodammodo naturalia esse in huiusmodi accusationibus et simplicia, quae afferuntur. Hinc et ὁμοιοτέλευτα καὶ ἰσοκατάληκτα καὶ πάρισα καὶ ὁμοιοπτώτα, ac caetera huiusmodi scitamenta, prout Gellius appellat, Lucilius in quinto Satirarum false reprehendit, cuius versus huc spectantes idem nobis Gellius seruauit.

Noft. Att. Lib. XVIII, c. 8.

§. XII. Has igitur repetitiones suo loco merito relinquimus, quandoquidem toto ab iis, de quibus agimus, genere differunt, et rationibus suis, vt vidimus, nituntur. Omnes qui tollat et consuetudini hominum, non reprehendendae profecto, vim facturum esset, et orationi omnem saepe perspicuitatem, venustatem pondusque, ac vim detracturus. Vitiosas vnas damnamus, sollicitaeque deuittandas arbitramur. Metiendae autem illae, vt naturam vitii huius vberius explicemus, non tantum ex multitudine sua, quanquam tum vel maxime fugiendae videntur. Aut enim tum aliqua repetitio ferri poterat, aut nulla. Si prius, quae semel aut ad summum aliquoties recte dici poterant, si decies ac centies adeo recoquantur, oratio non inspidissima reddi non potest. Eqidem *dis καὶ τρις καλὸν εἶναι τὰ καλὰ λέγειν, bis ac ter pulchra dicere, pulchrum esse*, id quod in prouerbio dicitur, facile

facile largior. Est enim oratio venustae instar modulationis, quae varietate sonorum interuallorumque rite temperatarum demum placet atque aures demulcet, vbi iteratis vicibus auditur. At est modus in rebus, sunt certi fines, quos transilire impune non licet. Atque vt, quod aiunt, *νόσος ἐδέσται τῶν καλῶν*, *satietas nulla pulchrorum*, de rebus pulchris quodammodo verum est, ita, si idem illud ad verba transferatur, vanius nihil dici cogitariue potest. Aures nihil magis obtundit, nihil offendit grauius, quam perpetua eiusmodi verborum loquendique generum, tametsi et elegantia et numero praestantissimorum, repetitio. Si cui res dubia videtur, quanquam neminem fore arbitror, qui dubitare serio possit, illi suafor sim, vt orationem easdem voces, quas thema suppeditare solet, a capite usque ad calcem iterantem, atque ad res saepe ab instituto alienissimas inuita Minerua trahentem, non audiat (similia enim non segnius, ut est apud Horatium, sed grauius irritant animos demissa per aurem, quando aurium res cumprimis agitur,) sed quod satis fuerit, attente legat. Aut enim Boeotorum crasso sub aëre natus sit, oportet, aut ineptissimam oratoris frigidissimi diligentiam fastidiet atque auersabitur. Sin vero, vt ad superiora redeamus, sermo repetitionem omnem respuat, frequentiam iteratarum vocum tanto esse vitiosorem vel coeco apparet.

§. XIII. Sed vero non tantum ex multitudine nimia repetitionum iudicium ferendum, pronuntiandumue, an vitiosae sint, id quod facili negotio fieri a quouis potest. Dispiciendum etiam, quod aliquanto plus attentionis postulat, de rariis occurrentibus, si naturae vitii huius indagandae, quantum par est, studii tribuere voluerimus. Namque infrequentiores etiam vitium trahunt, si non opportuno loco ac tempore adhibeantur. Quinam is locus, quod tempus sit, ex dictis, nisi fallor, atque iis cumprimis intelligitur, quae de figurarum, quarum natura repetitione absol-

de Art. Poet.
v. 180.

absoluitur, fundamentis diximus. Vbi vsus id fert, vbi perspicuitas periclitatur, absque iteratione si sit, vbi venustatem sectari licet, vbi affectibus locus, addo et, vbi satis spatii intercessit, vt iteratio auribus vim nullam afferat, repetere voces vel rudi illo simpliciorique modo vel maiori etiam cum artificio licebit. Non eadem licentia vtendum, vbi haec contraria senserimus. Absonum igitur fuerit, propriis quibusdam adfuescere vocibus, iisque pro formulis solennibus identidem vti; absouum, bis terue inprimis in continenti sermone, nulloque intervallo interposito, repetere, quae non magni nimis momenti sunt, et semel dicta nemo non assequitur, aut si id, suadente orationis serie, fieri necesse sit, cum eadem re eadem verba ponere ob oculos, quando alia non deerant, et res ipsa maiorem ornatum varietatemque flagitabat. Idem de iterationibus, quae ad venustatem orationis faciunt, et mero saepe lusu constant, dicendum, si eas frequentemus, vbi vehementior mentis commotio, quae ab his crepundiis abhorret, graphice depingenda erat, qua de re iam supra nonnulla monuimus. Sunt tamen quaedam repetitiones affectibus, saltim certo modo, propriae, quibus omnis vis esset peritura, si extra illos, tamen non nimis saepe, adhibeantur. Certe, si alii, quam puellae Lesbiae, amoris atque indignationis reciproci motibus aestuanti, tribuisset Ouidius iterationem:

Heroid. ep. XV.
P. 39. sq.

Si nisi quae facie poterit te digna videri,

Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

loquacitatis insulsae in simulari iure posset, prout eum, quam alia paulo ratione, impetum ingenii et materiae ad pueriles ineptias reduxisset Seneca confirmat.

Nat. quaeft.
Lib. III. c. 27.

§. XIV. Caeterum vt duo diuersa *ταυτολογίας* genera ex dictis facile agnoscent, quibus haec legere non graue fuerit, ita nouis inuestigandis distinguendisue ab inuicem non multum immorabimur. Sane alia est vocum simplicium, alia integrarum orationis partium, alia modorum loquendi

quendi generatim spectatorum connectendique imprimis repetitio vitiosa. Ex his primum genus omnium frequentissime occurrit, quandoquidem nihil facilius est, quam cum vna alteraue voce, praesertim si venustatis specie nobis ablandiatur, eam contrahere familiaritatem, vt nobis nimis crebro in ore sint, et saepe inopinato aduentu orationis seriem conturbent. In scriptis, orationibusue ex scripto recitandis, equidem deuitari ea facilius potest, sed nihilominus non raro scriptoribus imponit. Id tamen fatendum, *ταυτολογίας* has, cuiuscunque illae generis sint, in soluta frequentius quam versa oratione inueniri. Causa est haud dubie summa poliendi variandique sermonis cura, quam poetae gerunt, quibus in elocutione non magis, quam in caeteris partibus artis suae mediocribus esse licet, tamen non omnes immunes ab hoc vitio esse, ex dicendis facile patebit. Nempe exemplis iam porro haec illustranda quibusdam sunt, ne vitium, quod nusquam admittatur, carpsisse imperitioribus videamur. In iis adducendis, ne sterilis reddatur tractatio nostra, ita bona lectorum venia versabor, vt missis recentioribus eos, qui ex veteri litteratura se primum vel memoriae meae vel lectioni inuestigationique subitaneae obtulerunt, percurram, eosque vitii huius vno alteroue loco in medium allato reos esse conuincam. Hoc pacto non nimis diu haerebimus in vno illius genere, sed nunc hoc, nunc illud attingentes in re sibi perpetuo simili adeoque fastidii plena varietatem voluptate non inani aures perfundentem sequemur.

§. XV. Primum inter *ταυτολογένας* locum sibi vindicat Homerus. Summam fortasse temeritatem nonnulli interpretabuntur, quod poetam, *qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari poeta meruit, in quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui cum imitaretur, inuentus est, vitii insimulare audeo.* Sed si non primus ego id facere aggredior, quis enim vel e praecis temporibus

Vellei. Ann.
Lib. I. c. 5.

bus Zoilos, vel Perraultos, Mottios, Terrassonios, e recentioribus ignorat, qui vt multa forte iniuria, ita haud paucioraiure meritoque reprehenderunt, si praestantiam carminum eius ceteroqui sponte agnosco, spero, eosdem veniam duros audaciae, qua antiquissimum optimumque scriptorem seueriori fortasse censurae subiicio. Equidem an *μακρός*, *verbosus*, generatim sit dicendus, a quo vitio eum absolueret conatur Philemon, quando

Menandr. et
Philem.
Fragm. p.346.
Edit. Cleric.

Ουτος, inquit, ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἄλλ' εἰδὲ εἰς Ὀμηρον εἰσηκεν μακρόν. h. e.
*Iste nobis myriadas verborum scribit,
Sed nemo Homerum dixit verbosum.*

non inquiram nunc sollicitè, ne poëtae summo nimis per me detrahatur. At repetitionibus non ferendis, tantoque minus excusandis, quanto facilius deuitari poterant, cum indulgere, vel primus Iliados liber fidem faciet, qui innumeras complectitur. Non memorabo nunc, quod iisdem nimis saepe epithetis vtitur, Achillemque semper *ἄνω ποδῶς* *celerem pedibus*, Agamemnonem *ἐυρυγέροντα*, *late regnantem*, atque alios aliis, sed quae perpetuo recurrant, epithetis stipatos exhibet. Quis legat sine nausea repetitionem, qua qui sub initium libri versus occurrunt, fere omnes totidem verbis, eo ad finem vergente, quasi noui apponuntur, Sic preces Chrysaë, sacerdotis:

v. 12. seqq. et
371. seqq.

v. 37.

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ' ὅς χεῦσθαι ἀμφιβέβηκας, h. e.
Audi me argenteum arcum gerens, qui Chrysam iueris,

v. 457.

et quae sequuntur, perinde inferius repetita legas. Similes iterationes, taedii plenissimas, totus prope liber offert, inter quas eminet cumprimis solennis illa, vbi responsum quoddam heroum suorum profert, praefatio,

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη. h. e.

Hunc respondens est allocutus.

Profecto cui haec ac similia probantur, nae ei coecus veterum scriptorum amor omnem meliorum gustum corruperit, necesse est.

§. XVI.

§. XVI. Homero subiungo Battum, tamen non Ovidianum illum, quanquam et ille vitii huius illustre exemplum praebet. Victum enim mercede duplicata, quam Mercurius, taciturnitatis eius periculum facturum, offerebat, respondisse Ovidius fingit:

Sub illis

Montibus, inquit, erant, et erant sub montibus illis.

Cuius stolidum voces easdem repetendi morem simili responso exagitat Mercurius. Vnde apud eundem:

Risit Atlantiades: et me mihi, perfide, prodis.

Me mihi prodis ait.

In quibus versibus quod vitium inesse negat Coelius Rhodiginus, sed elegantiam ac venustatem quaerit, id ita capio, poetam ingeniosissimam ac venustatem hominis balbutientis, et balbutientem imitantis Mercurii vitium scite expressisse. Ipsa haec Battii repetitio vel Ouidio teste vitium trahit, qui Mercurium, ut fingeret illudentem homini inepto, eadem ratione verba iterantem induxit. Sed praeter fabulosum hunc Battum alium suggerit antiquitas, qui potiori nobis fortasse iure memorari possit. Plures eorum hoc nomine gaudentes in scriptoribus vetustis occurrunt, quos Ionsius, vir diligentissimus, recenset, quanquam productis ab eo sunt, qui addi possunt. Nam primo referre huc licet Bassos, quorum subinde fit mentio. Voces enim Bassus ac Battus non magis differre, quam *πράσσω* ac *πράττω*, nemo, ut opinor, temere negauerit. Tum vero et Battii praeterea alii commemorantur scriptoribus. Pertinet huc parens Callimachi, qui propterea Battiiades Ouidio dicitur, tum vero et poeta lyricus, a quo Suidas vocem *βαττολογίας* deriuat. *Βαττολογία*, inquit, *ἢ πολυλογία, ἀπὸ Βάττιος τινος μακρῆς καὶ πολυετέρας ὕμνος ποιήσαντος, ταυτολογίας ἔχοντος.* i. e. *Battologia*, multiloquentia, a *Batto* quodam longos et multis versibus constantes hymnos faciente, qui *tautologiis* scatebant. Is Battus non immerito ad classem scriptorum, qui eadem vitiose iterant, referri posse

Lib. II, Metam.
v. 702. seqq.

v. 704. seqq.

Lect. antiquar.
Lib. XIII. c. 2.
p. 667. edit.
haered. We-
chel. 1599.

De script. Hi-
stor. Philos.
Lib. I. c. 12.
pag. 73. Edit.
nou.

Lib. II. Trist.
v. 364.
voc. *Βαττολογ.*

Lib. IV. p. 309.
Ed. H. Steph.
1592.
voce Βαττολογία.
Exerc. ad An.
Baron. XIV.
p. 288. Edit.
Genev. 1654.

v. Stollberg.
Exerc. Grae-
cae linguae IX.
p. 365. Voss.
Instit. Orator.
Lib. V. c. 2.
§. V. Casaubon.
ad Sueton.
Aug. c. 87.

l. c.

VOG. ΤΗΥΤΟΛ.

videatur. Primo enim βαττολογία, si Suidae testimonio standum, ab eo dicta est, quanquam a rege Cyrenes, de quo Herodotus, vocem eam deriuandam censet Phauorinus. At quemadmodum Casaubonus contendit, in Battologia duo vitia insunt: repetitio eorundem verborum odiosa, inanis ac vana: item multiloquium; Vnde colligas, Battum poetam eiusmodi repetitionibus hymnos suos inquinasse. Deinde Suidas ei totidem verbis ταυτολογίας tribuit, qua voce repetitiones vitiosas denotari, de quibus agimus, Quintiliani testimonio supra allato docuimus. Sed ne numerum eorum, qui huc spectant, mala fide augere videar, fateor, me addubitare, an Battus poeta id vitii commiserit, quo de sermo est. Vt enim vera illa, quam Suidas tradit, Etymologia sit, pro qua tamen spondere minus ausim, cum haud paucis improbetur, nihil tamen certi euincit, partim quod voces saepe a primaria et origini suae conuenienti significatione deflectunt, partim quod extra omne dubium haudquaquam positum videtur, praeter multiloquium, vt Casaubonus appellat, battologia et inanem repetitionem earundem vocum designari. Neque enim Casauboni, quantumuis viri litterarum graecarum peritia nemini secundi, auctoritas rem confecerit, quando is significationem hanc rationibus nullis probat. Suidas generalius βαττολογίαν docet esse πολυλογίαν, quae quidem vox id neutiquam diserte inuoluit, quod vir summus contendit. Deinde quod ad ταυτολογίας attinet, quarum carmina eius Suidas arguit, fieri potest, vt voce ταυτολογίας sensu illo, hodie praesertim, tritissimo, vtatur. Eo enim prout Phauorinus annotauit, ταυτολογία ἐστὶ λέξεως παράλληλος θέσις τὸ αὐτὸ σημαίνουσῶν. h. e. Ταυτολογία est vocum idem significantium mutua positio, cuius rei exemplum idem subdit Phauorinus. Ὁξύς ἐστι καὶ ταχύς ἀλλ' ἔναθής καὶ βραδύς; h. e. Festinus est ac celer, sed non tardus et cunctator. Rem igitur loco suo relinquamus, quando carminum nihil a Battō editorum superest, vnde iudicium ferre ea de re sine metu erroris liceat.

§. XVII

§. XVII. Ctesiae Cnidii, notissimi Herodoti Musarum
aemuli nec scripta extant integra, et quae superfunt, fra-
gmenta non satis sunt, vt de stilo eius certo ac firmiter li-
ceat statuere. Demetrii tamen Phalerei testimonio sub-
nixus ei in classe ταυτολογέντων locum assignare nihil ve-
reor. Ita autem ille: Ὅπερ δὲ τῶ Κτησία ἐγκαλεῖσθαι ὡς ἀδολε-

ροτέρῳ διὰ τὰς διλογίας, πολλαχῆ μὲν ἴσως ἐγκαλεῖσθαι ἑρῶς, πολ-
λαχῆ δὲ ἐκ ἀειδάνονταί τῆς ἐναργείας τῆ ἀνδρός. τίθεται γὰρ ταυ-
τὸ, διὰ τὸ πολλοῖς ποιεῖν ἔμφρασι πλείονα. h. e. Quod autem Ctesiae exprobrant, tanquam nugatori propter repetitiones, multis for-
tasse locis recte exprobrant, multis autem non sentiunt perspicuitatem
hominis. Ponit enim idem, quia saepe maiorem vim habet.

Primo quidem de Ctesia Cnidio sermone esse, non Ephesio,
quem scriptores praeterea commemorant, inde colligo,
quod eandem, quam Demetrius noster in Ctesia commen-

dat, Photius alique laudant perspicuitatem, tum vero quod
alter ille Ctesias, cuius apud vnum, quod constat, Plutar-
chum, fit mentio, id nominis haud consecutus videtur, vt
credibile sit, exempli loco Demetrium ad eum prouocare, ac

tertio denique, quod eodem loco ex libris eius de rebus Per-
siciis insigne fragmentum profert. Huic igitur Ctesiae διλο-
γίας, repetitiones (Graecam vocem in latino sermone reti-
nuit, sed alio paulo sensu Asconius Paedianus) inesse cogno-

scimus ex his Demetrii verbis, quas aliis locis affirmat excu-
fari posse, aliis negat, fassus dicam ei ὡς ἀδολεροτέρῳ διὰ τὰς
διλογίας non iniuria scribi. Particula namque ἴσως non li-
berat culpa Ctesiam, quando nec dubitandi semper nota
est, et si hoc loco sit, fluctuantem Demetrii animum, refel-
lendis aliis imparem, arguit. De cetero vt largior, fuisset
in Ctesia repetitiones non ineptas, ita vix a me impetra-
re possum, quin vitiosam arbitrer, cuius exemplum Deme-
trius adducit. Est illud hominis amore faucii, qui ad foe-

minam, a se seruatum, quam deperire coeperat, ita scribit:
Ἐγὼ μὲν σε ἔσωσα, καὶ σὺ μὲν δι' ἐμὲ ἐσώθης, ἐγὼ δὲ διὰ σε ἀπα-
λόμην:

III

C 3

λόμην:

I. c. §. CCXVIII

Bibl. p. 134.
Edit. Rothom.
lib. de Hum.
p. 1161.

§. CCXIX.

in Verr. p.
XXV. Edit.
Hag.

I. c. §. CCXIX.

λόμην: Ego te seruauit, et tu opera mea seruata es, ego autem opera tua perco. Repetitio uerbi σώζεν, quanquam alia forma recurrentis ita mihi frigida uideatur, ut ab affectu scribentis ad defendendam eam satis praesidii peti nequeat.

§. XVIII. Ennium, celeberrimum illum Annalium conditorem, fas erit, puto, ad eundem censum referre. Indignaretur id fortasse, si uiueret, Hieronymus Columna, qui haud scio an, ut posita in colligendis illustrandisque poetae ueteris fragmentis opera maioris esset pretii, non minoribus eum laudibus extulit, quam quibus Homerum olim ueteres ornabant. Nempe eum si audiamus, nullum est dicendi genus, quod ille non optime exprefferit, nullus Rhetoricae poeticaeue artis riuulus, ex quo ille non pleno ore hauserit. Nemo Ennio rectius de Diis, prouidentia, fortuna, uaticiniis, animo humano, perturbationibus eius, uirtute, rebus naturalibus sensit, nemo ueterem suiue temporis historiam aequae calluit. Sed mitto nunc cetera, quae an satis sint, uti elegantissimi poetae, Ouidii, iudicium, Ennium ingenio quidem maximum, sed tamen arte rudem appellantis, reuincatur, haud pauci forte mecum dubitauerint. Repetitionibus eum uitiosis, quales nunc reprehendimus, indulgisse, uel sequentia, arbitror, fidem facient. Quid enim aliud complectuntur uersus, quos, uino multifariam uerbo concinniter implicatos, se ac sodales suos Athenis sibi inuicem ad enarrandum proposuisse affirmat Gellius. Ita autem habent:

in Vit. Ennii
per Hessel, cum
fragmentis
eiusdem.

Lib. II. Trist.
v. 423.

N. A. lib.
XVIII. c. 2.
Fragm. Enn.
per Hessel, p. 289.

*Nam qui lepide postulat alterum frustrari,
Quem frustratur: frustra eum dicit frustra esse;
Nam sese frustrari, quem frustrari sentit,
Qui frustratur, is frustra est, si non ille est frustra.*

ib. p. 216.

Alibi idem Ennius:

*Otio qui nescit uti, plus negotii habet,
Quam cum est negotium in negotio;*

Nam

Nam quei, quod agat institutum est, in illo negotio

Id agit: studet ibei mentem atque animum delectat suum.

Versus alter iam dudum emendatior in poetarum antiquorum fragmentis, quae Henr. Stephanus edidit, ita occurrit.

Nam cui, quod agat, institutum est, nullo negotio et q. s.

Postremum Petrus Francius, cuius notas breuiores editioni fragmentorum a Stephano editae adscriptas beneficio Magnifici Boernerii nostri conferre licuit, ita emendauit, vt metri ratio magis respondeat:

Id agere studet: ibi mentem atque animum oblectat suum.

Simile est, quod Nonius affert:

Stultus est, qui cupida cupiens cupienter cupit.

voc. cupienter.

Hae vocum repetitiones tam grauitur aures offendunt, vt qui artem Ennio, quam ei abiudicat Ouidius, vindicare conatur, Columna in vita eiusdem, deinde re propius expensa facere non possit, quin fateatur, ea in re veteres, atque adeo Ennium, nimis sibi videri indulgisse.

§. XIX. Ennio iungo M. Accium Plautum, qui, si quis alius, veterum scriptorum eiusmodi repetitiones captat. Eiusmodi est:

Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo,

Nam iuste ab iustis iustus sum orator datus,

Nam iniusta ab iniustis impetrari non decet,

Iusta autem ab iniustis petere, insipientia est.

Prolog. in Amphitr.

Similiter:

Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet,

Etiam cum cauisse ratus est, saepe is cautor captus est.

Captiu. Act. II, Scen. II.

Neque diuersa:

Studete hodie mihi: bona in scenam affero:

Nam bona bonis ferri reor aequum maxime,

Vt mala malis: vt, qui mali sunt, habeant mala,

Qui boni, bona: bonos quod oderint mali,

Sunt mali; malos quod oderint boni, bonos

Esse oportet. Vosque ideo estis boni: quandoquidem

Semper odistis malos s. q. s.

Prolog. Pseud.

At

Ac denique, vt alia multa taceam,

Pseud. Act. IV.
Scen. I.

Memorem inmemorem facit, qui memori memorat, quod memor meminit,

Ad Fragm.
Ennii p. 196.
Edit. Hessel.

si tamen hic versus legendus, quem admodum legendum eum censet Hieronymus Columna, Codicum haud dubie manuscriptorum fide nixus. In impressis enim libris nulla eius mutationis vestigia occurrunt, id quod ipsemet non diffitetur. Nemo mihi ad defendendas has elegantias, scilicet, obiiciat, haec non serio dicta Plautto esse, sed iocos festiuos auditorum oblectandorum causa sectanti. Primo enim manifestum non est, haec non serio comicum protulisse. Neque enim in comœdiis, vtcunque ad risum compositis, semper ioco locus est, sed oportet iucunda seriis misceri, ne perpetua ridendi materia fastidium denique auribus animisque creet. Dein si vel maxime ludere Plautum concessero, apud omnes in confesso est, ex inani verborum strepitu, cuiusmodi hic est, perperam lusum et iocos quaeri.

de Art. poet.
p. 270.

Recte Horatius:

*At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudauere sales, nimium patienter vtrumque,
Ne dicam stulte, mirati.*

1. supra cit. § II.

c. 35.

§. XX. M. Tullium Ciceronem etiam in hoc vitium saepe incidisse, Quintilianus memoriae proditum reliquit. Fidem eius rei facere conatur exemplo ex oratione pro Cluentio deprompto: *Non solum igitur illud iudicium iudicii simile non fuit.* Sed ista quidem repetitio, quod pace Quintiliani dixerim, ad vitiosas neutiquam pertinet. Hic enim manifesta est *πλοκή*, qua vox eadem diuerso iteratur sensu, figura dictionis longe venustissima, si loco suo adhibeatur, quod vtiq; factum hic esse a Cicerone sum persuasus. Accedit, hic repetitionem nullo modo deuitari potuisse. Neque enim substitui alia vox, vt *sui* vel *alicuius*, iteratae voci *iudicii* potest, nisi vel mutato sensu vel oratione ambigua obscuraque reddita. Ceteroqui non capio, quo pacto species

ταυτο-

ταυτολογίας amoueat^r interpunctiōne celeberrimi Graecii admiffa, quam clariffimus Burmannus probat, cum nota diftinguendi, praefertim non maxima, vitiofae repetitioni vitioque locum relinquat. Non tamen eloquii Romani parentem, quantumcunque elaborata atque omnibus numeris perfecta fit eius oratio, prorfus immunem ab hoc vitio pronuntiarim. Praetereo iam notiffimum illud *effe videatur* quo tam crebro aures hic illic obtundit, vt loquendi haec ratio prorfus ei in deliciis fuiſſe videatur, vnde auctor dialogi de cauſis corruptae eloquentiae: *Nolo irridere rotam fortunae et ius Verrinum, et illud tertio quoque ſenſu in omnibus proſententia poſitum effe videatur.* Quid opus erat, iterari vocem temporis in diuinatione in Verrem: *me ſaepe effe pollicitum, ſaepe oſtendiſſe dicebant, ſe quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis me eorum non defuturum,* quid vocem diei lib. I. in Verrem: *Quaeſtor Cn. Papirio, conſuli, fuiſti abhinc annos quatuordecim: ex ea die in hanc diem, quae feciſti in iudicium voco,* quid vocem rei in Verrem Lib. II. *Vt coniecturam faceretis, qualem in iis rebus in me L. Metellum fuiſſe putaretis, in quibus rebus mihi obſeſſe poſſet, cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obſuit,* quid vocem generis eodem loco. *Erant haec ex eodem genere, quod ego maxime genus ex ſociorum litteris reperire cupiebam, vt plura ne cumulem, quae Cicero- nem ſtudioſe euoluentibus ignota eſſe nequeunt. Nec magis ferendum, quod plures periodos eodem modo orditur, vt factum in epiftola XII. Lib. V. quae eſt ad Lucecium, a clariffimo Dornmeiero proinde haud iniuria notata.*

§. XXI. Quodſi Ciceroni non immerito *ταυτολογίας* dica ſcibitur, non video, qui liberari culpa ea C. Julius Caesar poſſit, cuius commentarii de bello Gallico et ciuili tot repetitiones non ſane vitio carentes complectuntur. Solenne illi eſt, nomen, quod ſemel poni ſat erat, cum pronomine inſequenti repetere. Vt: *Erant omnino itinera duo,*
D
quibus

Not. ad Orat.
Cicer. pro
Cluent. l. c.
Not. ad Quin-
til. l. c.

c. 23.

Edit. Blaeu.
p. 120.

p. 180.

p. 430.

p. 317.

in Diſſert. de
vitiōſo Cicer.
Imitat. ſubi.
Vorſt. de La-
tin. ſelect. et
vulgo negl.
§. 25.
de B. G. lib. I.
c. 6.

- c. 16. quibus itineribus domo exire possit; et ubi se diutius duci intellexit, et diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret. Praecesserat: diem ex die ducere Aedui, conferri, comportari, adesse, dicere, quibus ex verbis vox dici et ducere taediose repetitur.
- lib. IV. c. 19. Item: Omnibus his rebus confectis, quarum rerum causa exercitum transducere constituerat. Solenne est, repetere verbum auxiliare, ut: Quodsi antiquissimum quodque tempus spectari oporteret, populi Romani iustissimum esse in Gallia imperium, si iudicium senatus seruari oporteret, liberam debere esse Galliam, et: Si negotium confici stirpemque hominum sceleratorum interfici vellet, dimittenda plures manus, diducendique erant milites: si continere ad signa manipulos vellet . . . : locus ipse praesidio erat barbaris. Neque voces femel iterumque, sed saepius etiam iterare senuit, ut: Omnibus rebus ad profectiorem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant. Is dies erat ante diem V. Kalendas Aprilis, et: Vbi eum castris sese tenere Caesar intellexit, ne diutius comaeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani confederant, circiter passus DC ab his castris idoneum locum delegit, acieque triplici instructa, ad eum locum venit. Primam et secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit. Hic locus ab hoste circiter passus sexcentos, uti dictum est, aberat. Est et, ubi plures simul dictiones repetit, ut: Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt: in tertium annum profectiorem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Equidem lectionem hanc in dubium vocat Petrus Ciacconius, praetereaque et transposita haec verba arbitratur. Sed inuito codicum manuscriptorum consensu repetitionem hanc a scribendi ratione, qua Caesar vitur, non abhorrentem, repudiare sine audaciae nota vix licebit. Vnde recte factum puto a I. Dauisio, qui vulgaram huius loci lectionem a suspitionibus eius vindicauit. Neque ei tantum hac ex parte assentior, sed et, quod ille intactum praetermisit, transpositionem agnosco nullam,
- Orge-
- not. ad h. l.
- not. ad h. l.

Orgetorige generatim ad eas res conficiendas, hoc est, ad comparanda, quae ad profectiorem pertinebant, pariter atque ad confirmandas amicitias cum proximis ciuitatibus delecto.

§. XXII. Haec ac plura alia facile ex commentariis Caesaris colligenda si expendamus, non putem, posse nos facere, nisi nimia veterum scriptorum admiratio nos in transuersum abripiat, quin vitiosas in eo iterationes agnoscamus. Eae excusari quidem possunt ac debent, sed defendi laudarique ita, vt, qui dissentiant, imperiti et praeclare dicendi rationis expertes habeantur, quo iure possint, non intelligo. Quod si excusandae sint, ad festinationem Caesaris recurrere ego nihil verear cum cl. Dauisio. Ea enim vsus Caesaris et titulus commentariorum declarat, et Hirtius testatur: *Nos etiam inquit, quam facile atque celeriter eos confecerit, scimus.* Neque enim festinatio ea intelligitur, quae nusquam curae iustae relinquit locum, sed quae vt, sine magno nixu conatuque ac sponte veluti, dictionis limatae virtutes plerumque exprimit, ita nonnunquam sui dissimilis deflectit ad sequiora et minores quosdam naeuos, qui orationis vniuersae non deformant magis quam illustrent pulchritudinem, admittit. Eiusmodi naeuis repetitiones, quarum exempla produxi, annuero; elegantiam vel maiestatem in iis, vt fatear, quod res est, nullam assequor. Credam harum rerum iudici longe grauissimo, praestantissimo operis ad omnem excellentiam facti de pulchritudine naturali orationis architecto, plus iudicio, quam arti hic dare Caesaris, celare eum artem perspicuitatis et rerum in maiori luce ponendarum studio, exempla illustria eum sibi imitanda proposuisse, tabulas nempe publicas, cuiusmodi est inscriptio Pisana Caio et Lucio Caesaribus dedicata, in qua vox *diei* frequentius iteratur, generosam artis, moroso limatae studio, contemtionem hanc esse, et erecti neque paruis

Not. ad c. 3.
lib. 1. de B.G.
Praef. in Lib.
VIII. de B.G.

p. 236. seq.

in Cenotoph.
Pisan. Norif.
sub frontem
operis.

vis anxii rebus ingenii libertatem, a Longino ad τὸ ὕψος re-
latam virisque magnis vindicatam: Sed vt hinc confici pos-
sit, non tantum ferendas has repetitiones in Caesare, sed et
laudandas esse, summopere vereor. Arshici iudicio non ad-
uerfatur, neque obscura fit oratio, in qua voces omittuntur,
quae sponte succurrunt ἀπὸ τῆ κοινῆ facile supplendae. Mo-
rem repetendi easdem voces, in publicis monumentis ab
antiquis temporibus seruatum, ad libros temere transferri
non posse putem, vt taceam rariora esse, quae huc quadrant,
et vnam ferme diei vocem exhibere iteratam. Ceteroqui
generosam artis contemtionem ingeniique paruis non an-
xii rebus libertatem hoc interpretari, proum est, sed ob-
tentu hoc manifesta etiam vitia non tegi tantum poterunt,
verum et, si quis voluerit, summis laudibus extolli.

§. XXII. Iam ante virum celeberrimum pro Caesare
causam dixit, hasque repetitiones ad sermonis redundan-
tiam, quam Graeci πλεονασμὸν appellant, retulit Emundus
Richerius in libro de arte et causis figurarum, quem se vna
cum Grammatica obstetricia publici iuris fecisse in praefa-
tione libri de arte et causis Rhetoricae docet, sed, frustra
mihi et in vrbe hac et alibi quaesitum, euoluere non licuit.

de pulchritud. Defensio eius huc redit, *redundante huius generis oratione vulgi*
nat. orat. p. 239. *sermonem exprimi eandemque popularis imitationem locutionis in-*
terdum prudenter affectari, quo nouitatis vna cum vi gratia concili-
etur orationi, hoc fieri a Graecis, Homero maxime, hoc in ipsis
frequentari sacris. Non inficias eo, vulgi sermonem referre
has repetitiones; nec diffiteor, eas aliquando recte adhiberi;
sed in opere iusto, vtut neglectus speciem prae se ferente
neque prorsus elaborato, qui locum recte inueniant, non
capio. Neque patet, quo pacto inde nouitatis vna cum vi
gratia conciliari orationi possit, cum, quae sermone quoti-
diano teruntur, omnem nouitatis gratiam, omnem vim hoc
ipso perdant. Auctoritas Graecorum, Homeri praesertim,
hac

hac ex parte fucum nobis non facit, qui non quae antiquissima sunt, sed quae optima, probanda arbitramur. Quod ad sacras litteras attinet, ex iis ipse sibi defensionem praecidit Richerius, *falsus, ista sermonis infantia et humilitate viros sanctos, ut Graecorum superbarumque gentium sapientiam proticerent atque obtulerent, esse vsos.* Sed misso Caesare, qui paulo longius nos tenuit, ad ceteros, qui restant in classem hanc referendi, festinemus.

§. XXIV. Octavius Caesarem Augustum igitur superioribus adicio, auctoritate fretus Suetonii, qui testatur, praecipuam eum curam duxisse sensum animi quam aperitissime exprimere: *Quod quo facilius efficeret, aut necubi, lectorem obturbaret ac moraretur, neque praepositiones eum verbis (inepte aliae editiones verbi) addere, neque coniunctiones saepius iterare dubitasse.* Sed id quidem nondum satis videtur, ut τρωολογίας recte in simulari possit. Accedat igitur, quod subiicit Suetonius: *Quotidiano sermone quaedam frequentius et notabiliter usurpasse eum, litterae ipsius autographae ostentant.* In quibus identidem cum aliquos nunquam soluturos significare vult, ad Kalendas Graecas soluturos ait: et cum hortatur ferenda esse praesentia, qualiacunque sint, contentus finis hoc Catone: et ad exprimendam festinatae rei velocitatem, velocius quam asparagi coquantur. Ponit asidae et pro stulto baceolum: et pro pullo, pulleiacum: et pro cerito, vacerosum: et vopide sese habere, pro male: et betizare, pro languere, quod vulgo lachanizare dicitur. Item finis, pro fumus: et domos genitius casu singulari, pro domus. Nec unquam aliter haec duo, ne quis mendam magis quam consuetudinem putet. Litteras autographas, unde haec loquendi genera nimis crebro repetita hausit Suetonius, epistolas Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, interpretatur Quintilianus; epistolas eius in genere Gellius commemorat. Similes exaravit litteras successor eius Tiberius, in quibus

August. c. 86.
ex ed. Graeu.
nou.

c. 87.

Inst. Orat.
Lib. I. c. 7.
N. A. Lib. X.
c. 24.

bus quod aliquando vocem *scribendi* ter continenter repetit, hoc vsus exordio: *Quid scribam vobis, Patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me Deaque peius perdant, quam quotidie perire sentio, si scio, vt tradit Suetonius, et, qui vnam tantum vocem transponit, cetera seruat, Tacitus, in eo nihil reprehendo, cum affectus, quem repetitio ista depingit, eam facile a vitii suspicione defendat.*

Tib. c. 6.

Annal. VI. c. 6.

Suet. Caligul.

c. 34.

Jugem. sur les

Hist. Tom.

III. Opp. p. 185.

conf. Balthaf.

Bonifac. de

XL. scriptor.

Hist. Rom. c. 6.

De Patauinitate

Liuian. p.

19. seqq.

Lib. XXXIV.

c. 35.

§. XXV. Tito Liuiio porro hic locum esse tribuendum, dubio careret, si vel criminatio, quanquam vaga nimis, qua eum Caius Caesar Caligula est infectatus, iustis rationibus niteretur, vel Patauinitas ab Asinio Pollione ei obiecta in vocum repetitionibus nimis consisteret. Nam Caligula ut verbosum in historia negligentemque carpebat Liuium, librosque adeo eius et imaginem, perinde ac Virgili, ex bibliothecis eiicere conabatur. Quod autem ad Patauinitatem attinet, fuere vtique, qui censuerunt, eam nihil aliud esse, quam iterationem simul plurium in iisdem periodis verborum. Docet id Vayerius: *sunt, qui arbitrantur, (verba latina ex Gallicis versadamus) constituisse eam tantum repetitione, vel potius coacervatione earundem vocum synonymarum, Romae haud frequentata, quae in vrbe redundantia hac, quae peregrinis vitio dabatur, sese absternebant.* Sed sententia haec viris doctis, imprimis celeberrimo Morhoffio, dudum explosa est, vt inde optimo scriptori inuidiam conflare sine summa virulentia nemo possit. Obiectum vero ei a Caligula verbosi scribendi generis negligentiaeque crimen parum ad rem praesentem facit, praetereaque a veritate tam alienum tamque absonum est, vt vel exponentes illud vna eademque opera confutasse videamur. Sunt sane repetitiones in Liuiio, vt: *Ex qua die scriptae conditiones pacis editae Nabidi forent, ea dies vt induciarum principium esset, et vt ex ea die intra decimum diem ab*

Argis

Argis ceterisque oppidis . . . praesidia omnia deducerentur. Et: Lib. XLl. c. 9.
Quem manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut iusiurandum
daret: qui eum manumitteret, civitatis mutanda causa manu non
mittere: qui id non iuraret, eum manumittendum non censuerunt.
 Sed eae fere foederum, edictorum, aliorumque monimen-
 torum, quae diligentissimus scriptor profert, sunt; in ce-
 teris copiae et varietatis sectator studiosissimus ab iis sibi
 satis temperavit.

§. XXVI. Comitem Liurio iungo Arruntium, scri-
 ptorem belli Punici, Tacito aliquoties memoratum. Ne-
 que enim intelligi Arruntius potest, quem Seneca captu-
 torem testamentorum fuisse arguit, quemque Iosephus
 praekonem appellat. In similes enim non convenit elo-
 gium, quod Arruntius noster tulit, dictus vir rarae fru-
 galitatis. De eo Seneca, qui hac eum laude ornauit: *Sic*
Sallustio vigente amputatae sententiae, et verba ante expectatum
cadentia, et obscura breuitas suere pro cultu. Arruntius, vir ra-
rae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustia-
nius, et in illud genus nitens. Est apud Sallustium: exercitum
argento fecit, id est, pecunia parauit. Hoc Arruntius amare
coepit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco. Fu-
gam nostris fecere. Alio loco: Hiero Rex Syracusanorum, bellum
facit. Et alio loco: Quae audita Panormitanos dedere Romanis
fecere. Gustum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quae
apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, et pene conti-
nua, nec sine causa. Ille enim in haec incidebat: at hic illa quaerebat.
Vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit
Sallustius: Aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli
Punici ait: Repente hiemauit tempestas. Et alio loco, cum dice-
re vellet, frigidum annum fuisse, ait: Totus hiemauit annus. Et
alio loco: Inde sexaginta onerarias leues, praeter militem et ne-
cessarios nautarum, hiemante Aquilone misit. Non desinit omni-
bus locis hoc verbum insulcire. Quodam loco Sallustius dicit:

Inter

Annal. lib. I.

13. 76. 79. et

lib. III. 31.

atque alibi.

c. Voss. de

Hist. lat. lib. I.

c. 18.

lib. VI. de be-

nef. c. 83.

lib. XIX. An-

tiquit. p. 663.

ed. Col.

Epist. CXIV.

ad Iul. Caes. de
B. G. lib. V.
c. 28.

*Inter arma ciuilia aequi boni famas petit. Arruntius non tem-
perauit, quo minus primo statim libro poneret: Ingentes esse famas
de Regulo. Senecam reprehendit cl. Dauisius. Ad phrasin
enim bellum facere, hunc loquendi modum, inquit: inter raros et
insolentes ponit Seneca Ep. CXIV. sed perperam; Corn. Nep. Ages. c. 11.
persuasit Lacedaemoniis, ut exercitum in Asiam emitterent, bel-
lumque Regi facerent: Sic etiam loquuntur praestantissimi lin-
guae latinae auctores, ut ostendit Chr. Cellarius Cur. Postur. p. 91.
Sed iniuriam factam putem grauiissimo philosopho orato-
rique, quem ignorasse fingit Dauisius, diceretur ne latine,
bellum facere. At non ignorauit praestantissimus scriptor
loquendi modum, neque vel eum, vel ceteros, quos in
medium producit, inter raros per se et insolentes ponit;
sed comparatione cum Arruntio instituta docet, raro iis
Sallustium uti, nimis saepe ac pene semper Arruntium.
Quae apud Sallustium, inquit, rara fuerunt, apud hunc crebra sunt
et pene continua.*

§. XXVII. Neque praetereundi hoc loco, quos
Martialis, festiuis homo, ob vitium *ταυτολογίας* fugillat.
Duo illi sunt, aequales haud dubie poetae, sed quorum
intercidisset memoria, absque eius versibus si fuisset. Al-
ter est Sextilianus, non poterit ille, ut puto, de quo Mar-
tialis alibi, sed ad quem et libro decimo epigramma repe-
ritur. Vtrum inter scriptores sit referendus, nescio;
certe, quae Martialis de eo habet, incertum id relin-
quunt. Ita autem ille:

*Tantos et tantas si dicere Sextilianum,
Aule, veter, iunget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis, dicam, quid suspicer esse:
Tantos et tantas Sextilianus amat.*

lib. I. ep. 12.
et 83.
lib. X. ep. 29.

lib. VI. ep. 53.

Apparet voce *tantus* eum crebrius esse usum, quemadmo-
dum alter ille voces *bellus, bello* deperierat. De eo Mar-
tialis:

Decla-

Declamas belle, causas agis, Attale, belle,

Historias bellas, carmina bella facis.

Componis belle mimos, epigrammata belle,

Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus.

Et belle cantas, et saltas, Attale, belle

Bellus es arte lyrae, bellus es arte pilae.

Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle,

Vis dicam, quid sis? magnus es ardelio.

Oratorem, historicum, poetam, grammaticum, mathematicum et quid non? producit Martialis, sed qui inepta iactatione sui, quam putida vocum *bellus, belle, τωτολογία*, ut videtur, prodebat, (nisi Martialem ipsum hoc vitii admisisse, non exagitasse malimus) ardelionis magni notam sibi inussit. Ceterum ut in familiari fortasse sermone hanc vocem magis, quam scriptis, iteravit, ita incertum est, annon in libris, si quos edidit, similes repetitiones affectarit. Ad Attalum praeterea alibi extat epigramma, sed quod ad alium spectare arbitror. lib. I. epigr. 114.

§. XXVIII. Sed satis exemplorum est, unde plura addere supersedemus, alioqui facili ea negotio cumulaturi, imprimis si ad Iurisprudentiae campos diuertere, aut vetera nouis illustrare ad finem festinanti liberet. Nota ceteroqui est lex digestorum *de eo, qui non facit, quod* l. 121. ff. de reg. *facere debet, vel facit quod facere debet.* Verba sunt: *Qui non facit, quod facere debet, videtur facere aduersus ea, quia non facit.* Et *qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iussus est.* Eiusdem generis Iulii Pauli sententia videtur: *Ius liberorum mater habet, quae tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit.* Habet, cui *super-* Sent. recept. lib. IV. sent. IX. ad Senarum consult. Tertull. in Iurisprud. Antiquit. Iustiniana Ant. Schulding. p. 417.
sunt, habuit, quae amissi, neque habet, neque habuit, quae beneficio principis ius liberorum consecuta est. Sed et haec et plura alia suo loco relinquimus, gnari, spinosiora saepe esse iuris praecepta, quam ut in explicandis iis elegantias flo-

E

remque

remque orationis et vbertatem sectari liceat, et rectius plane ac perspicue, licet non sine taedio aurium delicia-
tiorum, tradi, quae cum suapte natura obscura et intrica-
ta sint, ornata nimis et calamistris quasi quibusdam inu-
sta meras lectoribus tenebras offundant.

§. XXIX. Causas huius vitii primarias deprehendo
duas. Altera est negligentia supina, qua vtimur plerum-
que in sensis animi exprimendis. Satis nobis est rerum
copia affluere, verborum vbertatem alto supercilio de-
spicientibus. Quasi non res optimae ieiuna oratione de-
formarentur, et, dum vnam perpetuo vestem, vel potius
centonem indutae prodeunt, cupidissimos etiam lectores
absterrent. Quanquam diues illa rerum affluentia ad
meram haud raro ostentationem redit, et paupertas ver-
borum sententiarum mendicitatem presso pede sequitur.
Qui sermonis expoliendi curam nimis aut fastidit aut
horret, ille, quantumcunque se apud imperitioribus opibus
suis longe praestantioribus venditet, vt multum in con-
quirendis rebus expromendisue operae ponat, summo-
pere verendum est. Saepe omne hoc studium vna in-
dustria aliena compilandi constat, saepe vna facultate ea,
quae memoria non infelix suggerit, sine discrimine effu-
tiendi. Inde igitur non mirum existere scribendi genus,
quod cum aliis vitiis abundat, tum eorundem verborum
putida iteratione. Causa haec primaria secundarias vel
parit vel ab iis ipsa corroboratur. Huc pertinet praua
consuetudo nobis non aduertentibus longo vsu contra-
cta, qua voces pariter atque integras formulas tam fami-
liares nobis reddimus, vt perpetuo nobis in ore sint,
atque ante etiam, quam res, locus, tempusue siue postu-
lauerit, siue admiserit, prorumpant. Spectat huc infre-
quens nimis lectio bonorum scriptorum melioris aevi,
qua vt omnis copia sermonis exarescit, ita haesitantibus
deinde,

deinde, vbi aliquid componendum, non potest non vfu venire, vt idem decies repetere, artis commutandi orationem nescii, cogantur. Accedit fuga laboris operaque in emendatione ponendae, quam si ipsi dedignantur, qui minima, scilicet, cum praetore non curant, vtinam aliis omnia feuerius excutientibus mandarent. Sed qui nobis parentibus non displicent, foetus vtcunque deformes aspectuque tristes & horridos aliis etiam omnibus non probari fuscipique non posse, stulte arbitramur.

§. XXX. Alteram causam primariam reperio affectationem. Sunt voces ac dictiones, quibus nitore, elegantia, vi, numero ceteras omnes longe inferiores ducimus, quarum aspectus nos ipse exhilarat, sine quibus prope piaculum nobis est loqui aut scribere. Innumerae sunt et vfu probatae et significatione praegnantes et numero honorae, quas longa obliuione sepeliri patimur, neque vquam adhibemus. Neque enim minor vocum locutionumque, quod ad vsum hodiernum attinet, deperditarum scribi potest commentarius, quam Polydorus Vergilius de rebus deperditis reliquit, potestque eam in rem praeter Crenium videri liber Io. Vorstii de latinitate selecta et vulgo fere neglecta, vt multa praeclara complexus, ita in immensum facile augendus. At nos vni aut paucis nos mancipamus, totosque addicimus, iisque saepe non modo non selectis, sed etiam vfu et significatione deprauatis et minime probandis. Gellius id vitium ad *ὀψιμαδία* refert: N. A. lib. XI.

in Animadu.
Philol. et Hi-
stor. passim.

c. 7.

Est, inquit, id vitium plerumque serae eruditionis, quam Graeci ὀψιμαδία appellat; vt, quod nunquam didiceris, diu ignoraueris, quum id scire aliquando coeperis, magnifacias, quo in loco cumque et quacunque in re dicere. Subiungit duo exempla, quorum posterius potissimum huc spectat. *Alter quoque (verba Gellii sunt) a lectionibus id genus paucis apirocalus, quum aduersarius causam differri postularet.* Rogo praetor, inquit, subueni,

E 2

succur-

succurre: quonam usque nos bouinator hic demoratur?
Atque id voce magna ter quaterque inelamauit; bouinator est.
Commurmuratio fieri coepta est a plerisque, qui aderant, quasi
monstrum verbi admirantibus. At ille iactans et gestiens, non
enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiuersatorem bouinatorem
dicit. Est autem in Lucilii undecimo versus hic:

Est tricofus, bouinatorque ore improbus duro.

Veruntamen et praeter *ἀφροδῖτις* inueniri, qui similes elegantias capent, nemo, opinor, temere negauerit.

§. XXXI. Neque vero nunc multis viam rationemque ostendendam putem, qua vitium istud vel deuitari prorsus vel contractum emendari possit. Trita enim est, atque ex ipsa vitii natura facile cognoscitur. Saepe et moneri sufficit, vt quae dedecere nos intelligimus, missa faciamus. Propterea tamen monitorem, quod leuicula suggesserit, nemo paulo aequior rerum aestimator contemnet. Maiora, quae delinquimus, ipsi facile obseruamus; minora nos fugiunt plerumque, et pertinacius inhaerent. Non fastidienda igitur similia, sed grato sunt agnoscenda animo, idque si nullam aliam ob causam, certe propterea, quod vitium tollunt, quod, quantumuis leue, nisi corrigatur mature, ridendos nos aliis propinat, et fructus, qui sperari de nobis poterant, magnam partem interuertit. Ne quis proinde a me negligentiae aut affectationis vel praeruertendae vel tollendae, si infederit iam radicesque egerit, subsidia nunc expectet. Non ego iam prauae consuetudini medebor, non vocabo ad lectionem perpetuam, ac vel inter grauissima studia exemplo magnorum virorum non intermittendam, auctorum proborum, non ostendam, emendandi labore nihil posse salutarius reperiri, non exagitabo miseros vocum dictionumue singularum amatores, quibus praec Helena sua cetera fordent omnia, quae

que ampliffimos linguae vel ditiffimae thefauros paucis syllabis vix commutarint. Sponte enim fua haec nemini non fuccurrunt, neque fas eft in re omnibus nota otio abuti.

§. XXXII. Contrarium *ταυτολογίας* vitium eft, verba, vfu licet probata fatis, reformidare nimis, perpetuoque iis feſe abſtinere. Sic Cicero vocum *nouiſſimus* et *nouiſſime* ſibi vfu interdixit, ſi Gellio id affirmanti fides habenda eſt. Ita enim ille: *Non paucis verbis, quorum frequens vſus eſt nunc et fuit, M. Ciceronem noluiſſe vti maniſeſtum eſt, quod ea non probaret. Velut eſt et nouiſſimus et nouiſſime. Nam cum et M. Cato et Salluſtius et alii quoque aetatis eiusdem verbo iſto promiſſe vſitati ſint, multi etiam non indocti viri in libris id ſuis ſcripſerint: abſtinuiſſe eo tamen tanquam non Latino videtur, quoniam, qui doctiſſimus eorum temporum fuerat, L. Aelius Stilo vt nouo et improbo verbo vti vitauerat. Sed enim non prorfus abſtinuit ea voce Cicero, vt qua vtitur in oratione pro Q. Roſcio Comoedo: Itaque per breui tempore, qui ne in nouiſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos peruenit comoedos, et in Epiftola ad Octauium, ſi tamen illa Ciceronis eſt: Nam vt ordiar ab initio et perducam ad extremum, et nouiſſima conferam primis. Abſtinuiſſe igitur his vocibus Ciceronem, docet Gellius, rarius eas adhibentem: ceteroqui optimis eas ſcriptoribus creberrime vſurpari, nemo eſt, niſi in his litteris prorfus hoſpes, qui ignoret.*

N.A. l.X. c.21.

Edit. Blaeu. p. 109.
ib. poſt epift.
ad Act. p. 704.

§. XXXIII. Sed in contrarium quoque vitium abripiuntur, qui repetitionem earundem vocum adeo fugiunt, vt nunquam idem bis dici recte poſſe arbitrentur. De iis Horatius:

*Qui variare cupit rem prodigialiter vnā,
Delphinum ſiluis appingit, ſuctibus aprum.*

de Art. poet.
v. 29.

E 3

Multi

Multa hic, non sine ratione, vt puto, neque inutiliter moneri possent, nisi instituti praesentis ratio in eam messem falcem immittere vetaret. Vt enim non damnandi, qui quas ex iugi bonorum scriptorum lectione collegerunt, opes non parce expromunt, sed copiam magnificentiamque sectantes aliam atque aliam vestem, qua in publicum prodeant, sumunt, ita cauendum tamen, ne modum excedamus, neue liberalitas nostra in profusam luxuriam degeneret. Vtinam qui de copia sermonis variandaque oratione praecepere, vt egregie docuerunt, quo pacto ieiunum atque exile dicendi genus, teneris cumprimis animis fugiendum, deuitari possit, non eadem opera, turgido, frigido omnisque proprietatis experti et affectationis stolidae plenissimo latam fenestram aperuissent. Nunc eo res rediit, vt, si quis paulo vberiore sibi copiam verborum compararit, non temperare sibi possit, quin putide eam ostendet, et politi sibi scriptoris laude orbandus videatur, nisi prodigiosa dictionis varietate perpetuo lectores stupore percussos teneat. Non pensamus, quid locus aut materies postulet; ipsas praeceptiones, in quibus perspicuitatis summa laus est, alio super alium conuestimus flore in rebus parui momenti vel centies aliter efferendis ineptam gloriolam venantes. O si vel Quintiliani, quo nemo curatius pariter atque ornatius dicendi praecepta tradidit, exemplo saperemus, qui ubi docuisset aliquando, *aliud esse admittere figuram, aliud figuram esse*, addit: *Neque enim verebor explicandae rei gratia frequentiore eiusdem nominis repetitionem*. In genere hic tenendum, non omni loco variatae orationis artificium conuenire, neque quibuslibet rebus, cauendumque, ne orationi, quae perspicuitatem desiderat, subinde commutatae tenebras offundamus Proteum inde efficientes, qui mille formis assumtis fucum faciat et deprendi nunquam

Inst. Orat.
Lib. IX. C. I.

quam possit Imprimis et obseruandum, ne inter varian-
 dum nimio plus indulgeamus nobis, aut admittamus,
 quod linguae indoles haud ferat. Alioqui simplicem,
 easdem voces eundemque loquendi tenorem perpetuo
 seruantem orationem vtcunque variatae atque in mille fi-
 guras contortae, si impuris sordibus fluat, linguarumque
 diuersarum proprietates turpiter permisceat, praeferen-
 dam esse, nemo non videt, Summa est: *ne quid nimis;*
 Longiorem, ea de re tractationem subtexere huius neque
 loci est neque temporis. Finem facio praecepto sa-
 pientissimo Senecae: *Nimis anxium esse te circa verba et*
compositionem, mi Lucili, nolo: habeo maiora,
quae cures.

Ep. CXV.



QX II d 290

ARGVMENTVM DISSERTATIONIS.

§. I. Agitur de iterationibus vitiosis in genere. §. II. De iterationibus vitiosis s. τωτολογία. verborum et rerum. §. III. Ad tractationem praesentem via sternitur. §. IV. Descriptio. §. V. Genus consideratur. §. VI. Discrimen. Quaedam τωτολογία. necessariae. §. VII. Quaedam solennes, ubi de formulis solennibus Romanorum, et §. VIII. Christianorum. §. IX. Quaedam repetitiones figuratae. §. X. et XI. Fundamenta repetitionum figuratarum, perspicuitas, venustas, affectus. §. XII. Repetitiones vitiosae pressius considerantur ratione numeri. §. XIII. Ratione loci et temporis. §. XIV. Diuersa eorum genera. §. XV. Exempla Homeri, §. XVI. Batti, §. XVII. Ctesiae, §. XVIII. Ennii, §. XIX. Plauti, §. XX. Ciceronis, §. XXI. XXII. et XXIII. Caesaris, §. XXIV. Augusti, §. XXV. T. Liuii, §. XXVI. Arruntii, §. XXVII. Sextiliani et Attali ex Martiali. §. XXVIII. ICtorum quorundam. §. XXIX. et XXX. Causae. §. XXXI. Remedia. §. XXXII. et XXXIII. Vitia contraria.



25



I.
n.
V.
n.
bi
n.
n-
is,
n-
is.
ri,
X.
is,
iii,
III.
XI.

ULB Halle

004 334 264

3





QR. 533 24

B. m. II

II d
228

DISSERTATIONEM
DE
TAVTOLOGIA
SEV
VITIOSA REPETITIONE
VERBORVM
CONSENTIENTE
ORDINE PHILOSOPHORVM
PRO LOCO
IN EODEM OBTINENDO
PLACIDO EXAMINI
SVBMITTIT
M. CHRISTIANVS SIGISMVNDVS
LIEBE.

PRID. ID. APRIL. MDCCXXI.

LIPSIÆ,
LITTERIS IMMANVELIS TITII.



2/12

